

Heinrich Jacob Sivers

M. Heinr. Jacobi Sivers, Lubecensis, Oratio, De Gradibus Ad Honores Academicos & Ambiendis, & Aperiendis : Pro summis in Philosophia honoribus, more solito consecutis, habita in Auditorio Maximo 1728. d. 21. Septembr.

Rostochii: Typis Io. Iac. Adleri, [1728]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002666643>

Druck Freier  Zugang



RU phil. 21.Sept. 1728
Sivers, Heinr.Jac.

1b



M. HEINR. JACOBI SIVERS,

Lubecensis,

ORATIO,

DE

GRADIBUS

AD HONORES

ACADEMICOS

& AMBIENDIS,

& APERIENDIS,

*Pro summis in Philosophia honoribus,
more solito consecutis, habita*



in

AUDITORIO MAXIMO

1728. d. 21. Septembr.

R O S T O C H I I,

Typis IO. IAC. ADLERI, SERENISS. PRINC. &
ACAD. Typographi.



1728

8 Sa.

VIRO.
CLARISSIMO. DO-
CTISSIMO.
ATQUE.
PRAENOBILISSIMO.
DOMINO.
HEINRICO.
SIVERS.

MUSICES. DIRECTORI. A-
PUD. LUBECENSES. ITEM-
QUE. GYMNASII. COLLEGAE.
LONGE. MERITISSIMO.

PARENTI. SUO. VENERAN-
DO. HUNC. LABOREM.
ACADEMICUM.

DAT. DICAT. CONSECRAT.
M. HEINR. JACOBUS. SIVERS,



* * * * *



Magnifice Domine Re-
ctor! Serenissimi Prin-
cipis ac Domini, Do-
mini **CAROLI**
LEOPOLDI, Ducis Re-
gnantis Mecklenburgici, Principis
vetustæ gentis Henetæ, Sverini &
Raceburgi, Comitis item Sverinen-
sis,

A 2

sis,

86 (o.) 87
sis, Terrarum Rostochii & Star-
gardiaë Dynastæ, Academiaë hujus
Patroni & Cancellarii Magnifi-
centissimi, Domini nostri Clemen-
tissimi, ut & Prænobilissimi, Am-
plissimi ac Prudentissimi Senatus
Rostochiensis, Academiaë Com-
patroni Munificentissimi, Illustris
& Excellentissimi Domini Legati!
Nec non Viri Generosi, Summe
Reverendi, Prænobilissimi, Con-
sultissimi, Experientissimi, Ampli-
simi, Excellentissimi, Admodum
Reverendi, Præcellentissimi, Cla-
rissimique Domini Patroni, Fauto-
res, & Meccœnates, omni cultu pro-
sequendi! Tuque Studiosorum ge-
nerosorum, Nobilissimorum atque
clarissimorum corona! Hospites-
que o. o. honoratissimi!

Sint

Sint dispersiti Labores Academici, dispersiti sequuntur honores; Sint gradus ad Pindum & Parnasum ardui, tandem superantur labore. Quæ cum ita sint, A. O. O. H. more in Academiis recepto, quandam ab Actus solemnitate haud alienam Thematis: *de Gradibus ad honores Academicos & ambiendis & aperiendis*, expositionem, qua fieri potest brevitate, instituire licebit. Quot honorum species, tot gradus ad eos deprehenduntur. Quot studiorum species, tot inveniuntur honores, tot amplificatæ quæruntur & conferuntur dignitates. Sistite gradus pro vestra in litterarum studia benevolentia, quo, ad summos in Philosophia honores euectus, de gradibus hujus Cathedræ cum vestri fauoris calculo descendere queam. Quod si aliæ de vestra & præsentia & attentione mihi succurrerent cogitationes, prius illas mutare, quam mentem ad Thema meum applicare vellem.

Inoffenso quidem: A. O. O. H. pede ad Honores Academicos eorumque gradus progredi possem, sed cum *Menedemo*, cujus sententias Athenienses auro contra æstimabant, ad thema transeo. Athenas, inquit, navigant primo sapientes, tum Philosophi, tum Rhetores, denique rudes & idiotæ. Academicos propter honores Musæ salutantur, litteris invigilatur, nervi intenduntur. Ruditas & inscitia in Academiis exuuntur, deponuntur, intellectus & voluntas habitu quisque suo vestiuntur, ornantur. Ea de causa quærunt & calcant indocti gradus ad Honores Academicos, quos docti tenent & tuentur. Breuiorem me oportebit esse, quam Scrutinium etymi

A 5

voci

Vocis *Academiae* requirit spatii, quod sane infumen-
 dum esset, si *Thematis Academiae* tractatio nostrae
 nunc substerneretur meditationi. Quare non erit,
 quod ad nemorosum illum Athenis vicinum locum,
Academia nuncupatum, *Platonis Philosophiam* docturi,
Acroaterium, excursitemus. *Academum* *Heroem*,
Scholae (recensente *Läertio* L. III. de vitis *Philos.*)
 prope Athenas in loco suburbano & nemoroso
 Autorem suo loco relinquimus. Nec juvat prolixius
 referre an ab $\alpha\kappa\alpha\delta\epsilon\mu\omicron$ & $\delta\eta\mu\omicron$ compositum vocabu-
 tum *Academiae* sit, ut idem sit, quod $\alpha\kappa\alpha\delta\epsilon\mu\omicron$ $\delta\eta\mu\omicron$, i. e.
 medela populi, licet denominationis ratio haud ab-
 ssona & incommoda videretur. *Academia* pronuntia-
 tur penultima brevi, quod *Græcis* modo $\alpha\kappa\alpha\delta\eta\mu\iota\alpha$, modo
 $\alpha\kappa\alpha\delta\eta\mu\epsilon\iota\alpha$ effertur. Quiescant hac vice veteres *Acad-*
emiae Xenocratis, *Arcefilai Acataleptici*, a *Dogmate*
 incomprehensibilitatis omnium rerum ita dicti, *Clit-*
omachi, *Philonis*, *Charmidae*, *Antiochi* aliorumque,
 de quibus multa fari, jam non attinet. Attineret
 potius ad me, de existentia *Honorum Academicorum*
 quædam differere, nisi aperta satis esset sola ad sensum
 monstratio. Ad honores *Academicos* nonne col-
 limant leges *Academicæ*? Quid sibi volunt solemnes,
 quibus cum itur ad *Honores Academicos*, *ceremo-*
niæ, quid *Personæ*, *eruditionis honore* graves?
 Quid *Privilegia*, *immunitates*, *nomina discretiva*,
subsellia? Suntre signa *Honorum Academicorum*?
Academici Doctores munia mascule tuentur, labores
 DEO gratioso sic concipiunt, ut salvi quoque sint
Honores. *Doctæ sunt*, quibus operam dant, lectio-
 nes

nes, doctæ, quas exponunt luci, meditationes, doctæ, quas conscendunt, cathedræ, qui actus de gradibus Honorum Academicorum satis superque testantur. Quantum *Lothario*, Seculi XII. Imperatori, litteratus Orbis debeat, compertum exploratumque est Historiarum architectis. Præter enim ea, quod JUS CIVILE luci & flori suo restituit, privilegiis Professores Decretorum instruxit, Jure Consultos Doctorum nomine insigniter distinxit, Magistros creari jussit, *Petrum Lombardum* primum Theologiæ Doctorem designavit, quamvis alii putent, ritum creandorum Theologiæ Doctorum, *εἰρημια* Parisiensium esse. Quo minoris modo memorato seculo divina sancti Codicis Oracula fieri coeperunt inutilium quæstionum futilitate, eo majoris ducebantur Doctores, quo luculenter constaret, quamnam esset inter Philosophiæ & Theologiæ Cultores differentia. Ritus conferendorum honorum Academicorum quid est, præter solemnem de profectu & eruditione testimonium? Eruditione disparibus non tribuuntur eadem officia, honores non conferuntur iudem. Sapientiam, testante Sapientiæ Spiritu, comitantur a dextris longævitas, a sinistris opes & honores. Prov. III, 16. propter quod dictum & Symbolum meum composui: Honor Insignis sequitur Laborem. Honores Academici decantant famam eruditorum, sunt ornamentum, pretiosissimis naturæ rebus, longe pretiosius, significant quale sit inter promotos discrimen, frustra ambiuntur extra pomœria Academiae Academici Honores. Ad consequendum immortalis gloriæ gradum facere,

&

& Filio commenda da videbantur JOHANNI, ELE-
 CTORI BRANDEBURGICO, cultus divinus, justitiæ
 administratio, pauperum ab injuriis potentiorum de-
 tensio. Initium sapientiæ timorem Domini esse, a
 teneris discimus. Pl. CXI, v. 10. Justitiæ distributivæ
 & retributivæ Honores Academici debentur, ut or-
 nentur diligentes, incitentur ad diligentiam spectan-
 tem augendæ scientiæ, admoveantur promoti. Salve
 Publica res, in qua vel Philosophi imperant vel qui
 imperant, philosophantur! Salve Musarum sedes! sal-
 vete montes, Musis sacrati! ubi scientiarum cultores
 ad honorum fastigia extolluntur, gratulationibus ex-
 cipiuntur, ad spartas destinantur administrandas! In
 cogitationes vilipensorum honorum Academicorum
 nemo facile incidet, observatō, illos non effundi, sed
 distribui, non obtrudi, sed conferri, non abripi sed
 attrahi, non onerare, sed ornare. Ornant Honores
 Academici Philosophos, commendant Theologos, ad
 leges & Jura ablegant Jure Consultos, ad spem sani-
 tatis perducunt Medicos. Cursores Ludorum Olym-
 picorum brabæa reportasse, in orē omnium & aprico
 est. Academia sunt Musarum & eruditorum palæ-
 stra: Instituunt cursum, quotquot studiorum & u-
 tilitatem & jucunditatem perspicere potuere: alii vel
 studiorum tædio, vel ignavia, vel inopia a cursu re-
 vocantur, alii conficiunt cursum & currendo perfici-
 untur ad honores, actiones & præstanda provirili of-
 ficia. Aqua de limpido fonte hausta sitientem refi-
 cit; terra multo imbri madefacta vegetatur; scienti-
 as eodem effectu prægnantes esse, testatur experien-
 tia,

tia, loquuntur honores Academici, fructus madafacti eruditionis imbre, ingenii proventus, qui utrique Reipublicæ ex artibus feliciter reddit, consiliorum sanitas, dogmatum puritas, commodorum ubertas, amoenitatum varietas. Fulgent Imperantium vertices aureo, gemmisque distincto diademate, regia est, quam gestant Cidaribus: Fidelium Prærogativa in Regno Gratiæ Messia, & gloriæ futuro, iis, veluti Symbolis repræsentatur a Messia, pulcherrimo filiorum Hominis. Es. XXII. 3. Quid prohibet, quo minus honores Academici diadematis & Cidaribus loco habeantur. Solis haud retardatus cursus in orbita ab æquinoctio pergit ad Solstitium: Sic cœptus in studiis litterarum cursus dividit & separat ignorantia tenebras a luce artium & disciplinarum, donec summum cognitionis apicem & gradum Cursores attigerint. Oleum in studiis consumitur, non, perditur; non nocet, sed lucet ad solium Honorum & Dignitatum. Noctes insomnes ductæ, frequentata Doctorum limina, collecti artium flores non interficiunt, sed reficiunt, infamiam non inferunt, sed auferunt, non sordent, sed bene olent. Quid de Honorum Academicorum utilitate, suavitateque judicandum? Num ingratus & injucundus esset, quem spargunt odorem? Suavissimus est, siquidem ipsa litterarum studia eundem spirant. Carolstadii, Viri ad lites & turbas facti & compositi

B

positi

positi odium adversus litterarum studia, studiorumque honores conceptum & concitatum infensum & hostile satis erat. Hic, postquam litterarum studiis sese abdicarat, studiorum ornamenta abiecerat; in agris delitescere cepit, significata Ruricolis voluntate, ut ipsum vicini *Andrea*, Nomine vocarent. Internum illud odium externe se exseruit graduum & promotionum Academicarum proscriptione, Sacri Codicis ditorione, auxiliorum pariter & suppliciarum ejuratione, officiorum denegatione. Cathedræ Doctorum Theologiæ in templo Aulico fertur inscripsisse verba: *Ihr sollt euch nicht Meister heissen lassen*, desumpta e *Matth. XXIII. 8.* Sed *B. Lutherus*, infensissimo Litterarum & Litteratorum hosti occurrisset & verba verbis, vindicationem textus malesano sensui opposuisse legitur: *Dieser Spruch ist nicht also zu verstehen: Ihr sollt euch nicht lassen Meister heissen, sondern also: Ihr sollt nicht neue Lehr erdichten, nichts neues herfürbringen &c.* Quodsi animus esset, omnes graduum Academicorum hostes persequendi, *Cinglii fastidium, Bullingeri indignationem, Keddii, Pelargi, Müntzeri* factas adversus Academicos honores conjurationes averfari, & ab iis dehortari deberem. Valeant *Indifferentistæ* cum suo adversus scholas, Scholarum Doctores, Doctorum honores, honorum solemnitates odio. Illi neque sanctis litteris,

litteris, neque Academiarum privilegiis vim inferent, neque Imperantium Auctoritatem labefactare impune poterunt. Utuntur Jure & privilegio societatum omnium opifices, opificiorum aluntur socii, sociorum negotiis præfunt Magistri, certis ceremoniis creati. Eccur igitur injuriæ in Academiis, earum societates, privilegia & immunitates, honorum dignitates evomuntur? Castrenses & præfidiarii milites suos sequuntur duces, quorum alter hoc, alter illo insignitus caractere est, & honore, prout vel inferioris, vel superioris Ordinis Præfetti audiunt. Quorum nomina Musis data, sacrata, ab ore Doctorum Magistrorumque pendere non erubescunt, aliis Philosophiæ, aliis Theologiæ Doctorum limina & Musas sed non a limine duntaxat salutantibus. Invidia quamvis sit virtutis comes, ipsa tamen virtutis via invia non est; generosa Virtus è medio, quanta, quanta ei accidant, non tollitur. Rosa crescit inter spinas, spinis obsita floret, odorem ex se mittit, nec minima tamen sui parte læditur a vepribus atque dumetis. Academiarum pomœria; honorum flos & decus vepretis disteriorum, aculeis convitiarum ut destruantur, ut obruantur, ut eradicentur, tantum abest, ut plantarum potius & arborum substantia, ad gloriam DEI constitarum, salva maneat & integra sit perpetuo virore, fructuum numero sine fine. Ver-

rum anne duceremus nobis religioni, honores ambire, gradus ad honores aperire, posteaquam Matth. XXIII. v. 8. 9. 10. *Christus*, Doctorum Doctor, neque Rabbi, neque Parentis, neque Magistri nomine quenquam discipulorum & populi cognominandum permittit? Minime. Quicquid enim certo prohibetur respectu, hoc ipsum simpliciter & per omnem modum haud rejicitur. Absit, committere fallaciam a dicto secundum quid, ad simpliciter dictum. Pharisæi enim & scribæ prædicatis abutebantur ad ostentationem & absolutam potestatem, erant dogmatum fidei morumque prævaricatores, onerabant Ecclesiam traditionibus, ceu necessariis ad fidem & salutem. Hos itaque tangunt verba Christi, horum arrogantia discipuli & fideles interduntur, horum fastus, superbia, vanæque gloriæ cupiditas Christo sordet, ita tamen, vt neque verbi genuina & pura prædicatio, neque Doctorum Verbi reverentia licita ac debita eo ipso labefactata, aut e medio sublata queat esse. Spectant quidem ad Honores Ecclesiasticos verba Divi Pauli, commendaturi I. Tim. III. 13. Diaconis fidem & integritatem, ad acquisitionem ulteriores in Ministerio gradus facientem, ad Parrhesiam fidei in Christo JESU promerendum. At vero non video, quare ab his ad honorum Academicorum gradus non liceat argumentari. Quo quis diligentior,

eo melior ipsi videtur ille gradus, ad quem in-
detesse pervenit diligentia. Quantis in deliciis
fuerint gradus Academici, patet ex appetitione
eorum inter Principes, Comites, & Barones
conspicua olim & communi.

JOHAN-
NEM, *Ducem Megapolitanum*,
Primislai, ultimi Herulorum Regis & Princi-
pum Christianorum primi, Pro-Nepotem in
fastigio summorum in Theologia Honorum Pa-
risiis collocatum & Doctoris Theologi nomine
condecoratum esse, neminem præterire, arbi-
tror. Sunt Europæ regiones aliæ, in quibus
Regnantes eruditionis gloria fulgent, fulgendo
ad gradus honorum in Academiis evecta, iis-
demque in terris graves fuere. **ALBERTUM**
IV. Bavariæ Ducem Baccalaurei Titulo Deco-
rum, **HERMANNUM**, Hassiæ Landgrafium
in Academia Pragensi Magistrum salutatum,
ALBERTUM, Comitem Hohenbergensem, De-
cretorum Doctorem, **EBERHARDUM**, Baro-
nem Starenbergium, Theologiæ Doctorem de-
signatos salutatosque fuisse, Monumentorum
Conditores aperte satis loquuntur. Elucet igi-
tur ex illis, gradus ad Honores Academicos ap-
petendos, aperiendos & defendendos mascule
esse, studia litterarum ornamento, Academias
splendori ac Præsidio esse, commoda denique
haud levidensia in totum Reipublicæ corpus &


φρασεολογία redundare. Sisto gradus, ne abusu
 vestrae A. O. O. H. patientiae, dijiciendus gradu
 videar. Ante vero, quam de gradibus Cathedrae
 descendo, non nisi conjunctos consociatosque ad-
 preces & vota nos oportet discedere. ALME
 DEUS, in caelis atque terris omni gradu subli-
 mior, Doctior omni sapientia, Gloriosior omni
 honore & gloria, ad thronum Gratiae Tuae humil-
 lime ad volvor: Tibi refero Vitam, famam, hono-
 rem, & quicquid in me boni est, accepta, refero
 Tibi accepta, viam & gradus ad honores hoc die
 aliis & mihi exhibitos. Tibi me nuncupo, conse-
 cro, a Te vires & facultates in gradu persistendi,
 in statu memet conservandi, & ad altiora tenden-
 di, qua decet observantia, pietateque humillime
 expeto. Serva DEUS Optime Maxime, *Sere-*
nissimum Principem nostrum Domi-
num CAROLUM LEOPOL-
DUM, Cancellarium & Patronum
hujus Academiae Magnificentissimum,
 consolida thronum ejus, & quo magis arduus vi-
 detur aditus ad gradus sedis & solii Ducis, eo for-
 tiori brachio defende ipsius solum, & associatos
 Ipsi ad fidem & obsequium Amicos, Cives, subdi-
 tos, incolas. Aperias, quaesumus, *Serenissimae*
Conjugi Principis nostri clementissi-
mi,


mi, CATHARINÆ IWA-
 NOWNÆ, *Dominae nostræ Gra-
 tiosissimæ*, gradus ad pietatem, Tibi placentem
 ad SALUTEM, Pacem & Tranquillitatem Con-
 nubialem, corporis ac animæ dulcissimam exopta-
 tissimamque. Quo tenenior & infirmior ætas Se-
 renissimorum Parentum. Principis Filiæ, ELI-
 SABETHÆ CATHARINÆ CHRISTINÆ est,
 eo firmiori, DEUS DEORUM, gratia complecte-
 re eandem, quo mature discat viam certo gradu
 TUA ad præcepta, ad virtutes Principe dignas
 tentare, donec ascenderit ad plenitudinem Aetatis
 & sapientiæ. Aspice ex alto Amplissimum hujus
 Civitatis Senatum, Compatronum hujus Academiae
 gravissimum, munificentissimum: Fac DEUS
 OMNIPOTENS, incedant requieto gradu, quo
 cives pariter utantur eodem. Fac, consilia eorum
 ad exoptatissimos prosperitatis gradus tendant,
 spectent, perveniant. Fac, molimina cuncta, gra-
 dus ipsorum & Civium ad felicitatem componant.
 Tandem DEUS optime, omnis Ordinis & Decoris
 Autor! firmissime fundatam Academiam Rosto-
 chiensem & gradus Docentium pariter ac discenti-
 um in ea per vigili Tuæ curæ devote commendo,
 relinquo. Velim pro Tua & Omniscientia &
 Præpotentia præpares gradus in vocationis viæ
 constitutis, Magnifico Domino Rectori, Doctorum
 & Professorum venerandæ cohorti. Remove im-
 pedi-

pedimenta lectissimæ studiosorum coronæ, quæ citato gradu ad eruditionis & honoris gradus fertur. Orna gradus, felicitate laborem, quo docentes & discipulos optatam cursu metam ad nutum Tuum & Vota ipsorum attingere queant. Accipe meas preces, redde gratas humillimas meas grates, Tibi, Summe DEUS, & illustri huic Auditorio persolutas. Contendatis Auditores, Patroni & Fautores O. O. H. Gradu numquam molesto ad vota, pro mea, promotorum mecum hodie, & omnium Litteratorum salute, quemadmodum meis & Compromotorum verbis observantiam & officia paratissima sincere promitto. Vestra quidem officia æquare non poterimus at boni gratique animi mercedem non aspernabimini, quippe dignius quid pro vestra in nos jura rependere non possumus. Pergite A. O. O. H. favere Musis nostris, & habebitis nos cultu mentis & affectione numquam cessuros.

D I X I







35 (0) 36

quas exponunt luci, meditationes, doctæ,
pendunt, cathedræ, qui actus de gradibus
Academicorum satis superque testantur.
othario, Seculi XII. Imperatori, littera-
beat, compertum exploratumque est Hi-
rchitectis. Præter enim ea, quod JUS
i & flori suo restituit, privilegiis Profes-
orum instruxit, Jure Consultos Doctorum
gniter distinxit, Magistros creari jussit,
bardum primum Theologiæ Doctorem
quamvis alii putent, ritum creandorum
Doctorum, ^{εὐσεβία} Parisiensium esse. Quo-
do memorato seculo divina sancti Codi-
fieri coeperunt inutilium quæstionum fu-
majoris ducebantur Doctores, quo lucu-
aret, quænam esset inter Philosophiæ &
Cultores differentia. Ritus conferendo-
um Academicorum quid est, præter solem-
ectu & eruditione testimonium? Erudi-
ibus non tribuuntur eadem officia, ho-
conferuntur iidem. Sapientiam, testante
piritu, comitantur a dextris longævitas,
pes & honores. Prov. III, 16. propter quod
symbolum meum conposui: Honor Infi-
r Laborem. Honores Academici decan-
eruditorum, sunt ornamentum, pretio-
uræ rebus, longe pretiosius, significant
er promotos discrimen, frustra ambiun-
omœria Academia Academici Honores.
endum immortalis gloriæ gradum facere,
&